



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117816**

§. 57. Felix Papa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

bus ejus alienari possint; talis alienatio Sæculum V. A. C. 483.  
 nulla sit, sed alienans, & in alienationem consentiens, aut qui rem alienatam acceperit, Anathema sit. Ejusmodi Hæreditatem acquirentem non juvet præscriptio, sed eam cum fructibus restituere, ipse, & Hæredes ejus teneantur. Cuilibet ex Clericis jus sit, ut se tali alienationi opponere valeat. Res mobilis autem, si Ecclesiæ parvam utilitatem afferat, aut non nisi difficulter servari possit, æqua rei æstimatione facta, vendi poterit, & pecunia ad causas pias impendi.

§. LVII.

*Felix Papa.*

Pontifex Romanus electus est Felix, Romæ natus, filius Felicis Presbyteri, Lib. Pont. Brev. Liber .ii. 18. p. 769.  
 cujus Titulus erat ad Fasciolam; Is ferme annos novem Sacram Sedem tenuit. Felici quoque Joannes Talaja instabat, Gesta de nom. Ac.  
 ut se Sedi Alexandrinæ restitueret; ille sua Ecclesia expulso in solatium dedit Ecclesiam Nolanam, ubi aliquot annis moratus, defunctus est in Pace. Cum adhuc Romæ ageret, Papæ penitius detexit, quam versuto ingenio Acacius esset; nam ubi Joanni Talajæ illa prælecta sunt, quæ Acacius de Petro Fullone, & Joanne, Sedis Antiochenæ usurpatore scripserat, Acacii fraudulentia ad ocu-

Sæculum V. lum patuit. Is enim ad Papam scripserat, ut, si ad Sacram Sedem verterentur, ipsos non audiret, imo & a conspectu arceret, & nihilominus eundem Joannem, toties condemnatum, miserat Tyrum, ut eam Ecclesiam regeret.

*Theopha.*

*Zen. an. 12.*

*p. 113.*

*Evagr. III.*

*hist. c. 38.*

Cum igitur Felici Papæ constaret, Epistolas Antecessoris sui non modo nihil profuisse, sed Acacium Disciplina Ecclesiasticæ etiam illudere, in Ecclesia S. Petri coacta Synodo, Vitalem Episcopum Truentinum in Piceno, Misenum Episcopum Cumanum in Campania, & Felicem Ecclesiæ Romanæ Defensorem, delegit, & cum mandatis Constantino-  
polim misit; erant autem mandata hujusmodi. Petrus Mongus Cathedra Alexandrina ejiciatur. Acacius ad articulos Libelli, quem Joannes Talaja SS. Pontifici contra ipsum tradidisset, respondeat. Eidem Joanni nomine Papæ præcipiatur, ut Petro Mongo anathema dicat. Legatis suis Papa duas præterea Epistolas ferendas commisit, unam ad Acacium, ad Imperatorem Zenonem alteram.

§. LVIII.

*Epistolæ ad Acacium, & Zenonem.*

*Felix ep. 1.*  
*to. 4. Cont.*  
*p. 1049.*

In Epistola ad Acacium SS. Pontifex queritur, quod ex composito de Causa Ecclesiæ